

ANTONIUS OTTO PASTOR NORTHSIANVS.



Antonius ille anno circiter 1505 natus, à pueritia operam literis dedit, & in omni genere literarum magnam eruditionem sibi acquisiuit. In primis uerò apud Saxones Theologiæ incubuit, & in ea facultate plurimū profecit. Itaq; Northsianus pastor constitutus fuit, ut & populum uerbo Dei instrueret, & uitæ innocentia finitimiis exemplo esset. erat enim is religioni deditissimus, & multis uirtutibus praeditus. Eam functionem is optimè administrauit, & otio impetrato libris diligenter incubuit. Cum etiam quidam falsa legis interpretatione Ecclesiā turbare statuissent, ipse contra Antinomos scripsit, & suam eruditionem omnibus declarauit. Huius uiri doctrinam Vuilhelmus Eccius Radensis uir egregiè doctus Vuirtzburgi mihi significauit, atq; eum etiamnum anno 1565 uiuere ostendit. Anon.